Tarnowski Stanisław: De criminibus mixti fori.

~~2608 Lrawo~~

QVÆSTIO
DE
CRIMINIBVS MI-STI FORI.

QVAM

Præsidēte clarissimo ac cōsultissimo Viro D. ANDREA PETRICOVIO I. V. D. & Professore Ordinario;

M. STANISLAVS POMORSKI Philosophiæ Doctor, Can. Wladisl. & Collega DD. Iuriscōsult: pro gradu Licentiaturæ in Iure Vtroque consequendo, publicè ad disputandum proponet.

In Collegio DD. Iurisperitorum, Mense Octob. Die Hora Anno M DC. XXVII.

Permissu Magnifici D. RECTORIS.

CRAC. Typis Matth. Andreouiensis.

mm.

In Stemma Acad. Crac.



Sceptra decus Regum, ſceptris Academia claret,
Hanc igitur Regum, quis neget eſſe decus?

QVAESTIO.

Ex c. Cum ſit Generale.

Ext. DE FORO COMPETENTI.

Juncta L. Senatus.

Dig. DE ACCVSATIONIBVS.

V. In criminibus Miſti fori, quando præuenta eſt Iuriſdictio, & punitus vel abſolutus delinquens per Iudicem Eccleſiaſticum, poſsit nihilominus de eodem crimine accuſari coram iudice Seculari: ita vt alia pœna de iure Ciuili introducta veniat imponenda, nec ne?

Conclusio I.

Absolutus de aliquo Crimine, etsi regulariter non sit accusandus; tamen ex noua qualitate adiecta, propter quam noua inducitur actio, potest denuo accusari, non tantum apud alium, sed etiam apud eundē Iudicem.

Corollaria.

1. *Qui propter in competentiam Actoris, aut ineptum libellum absoluitur ab obseruatione Iudicij, potest iterum accusari de eodem Crimine, tàm ab alio, quàm ab eodem Actore.*

2. *Vigore Transactionis cum aduersario factæ absolutus, non potest ab eodem accusari si stetur conditionibus, sed ab alio bene potest.*

3. *Absolutus in foro interiori potest nihilominus puniri pro eodem crimine tàm per Iudicem Ecclesiasticum, quàm per Secularem, etiamsi pœnitentiam egerit publicam vel occultam.*

4. *Quando ex eodem facto plura oriuntur crimina quæ sunt distincta specie, tunc licet sit absolutus de vno, potest*

no, potest adhuc accusari de alio, tàm apud eundem, quàm apud diuersum Iudicem.

5. De crimine absolutus, si postmodum probari possit interuenisse præuaricationem aduersarij, potest iterum accusari de eodem crimine per alium, cuius interest.

Conclusio II.

Punitus per Iudicem Ecclesiasticum de crimine Misti fori, potest iterum accusari de eodẽ Crimine coram Iudice Seculari, qui pænas legum extendere debet in delinquentem.

Corollaria.

1. *Licèt distincta sit Iurisdictio Secularis ab Ecclesiastica, quædam tamen Crimina vel ob sui atrocitatẽ, vel ob fauorem Ecclesiæ, vtroq; foro possunt coërceri.*

2. *In his autem præuentioni locus est, vt in eo foro causa agitetur, vbi primùm lis fuerit contestata.*

3. *Sed quando Iudex præueniens puniuit delinquentem, datur adhuc actio in id, quo grauius Ius alterum potest punire crimen cõmissum.*

4. *Iudex Ecclesiasticus in Delictis Misti fori, non potest procedere ad pænas sanguinis, sed tantùm ad Spirituales, nempe censuras.*

5 *Quando Crimen est merè Spirituale & punitum per Iudicem Ecclesiasticum, de eo nullatenus potest se immiscere Iudex Secularis.*

Conclusio III.

Quãdo alteruter Iudex imposuit pænam Naturaliter debitam & condignam delicto, Non potest Reus pro eodem Crimine accusari coram altero Iudice, quamuis Crimen sit misti fori.

Corollaria.

1. *Sententia in causa Criminali lata, à qua non fuit appellatum, num transeat in rem Iudicatam, ec ne? Problema esto.*

2. *Quando Reus Criminis plures habet Iudices, in potestate Actoris est eligere, coram quo Iudice velit conuenire aduersarium.*

3. *Ex Priuilegio tamen vel Statuto potest induci,*

vt ista

vt ista Electio Iudicis, competat Reo potiùs quàm Actori.

4. *Sententia excommunicationis, etsi pœna sit omnium grauissima: Ius tamen Ciuile seuerius punit delicta, saltim æstimatione hominum.*

5. *Punitus vel absolutus per vnum Iudicem de crimine Misti fori, si conueniatur coram alio Iudice habet exceptionē, quam si non opponat, sibi imputare debet, dum ab alio punietur.*

